



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1720

Quæst. 326. Quæ pœnæ statutæ sint jure civili.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73982](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73982)

pœna dignum, ut Harprech, in §. pœnam. *Inst. de oblig. ex delict. num. 2. & 3.* Schneidevv. in §. *fin. Inst. eod.* An verò actio illa furti in duplum & quadruplum adhuc hodie locum habeat, inter AA. non convenit, Tabor eam autoritate *Ord. crimin. a. 157. 158. & 160.* ab usu non recessisse, defendit *ad cit. art. th. 1.* Contrarium post multos alios defendunt Berlich. *p. 5. concl. 43. num. 3.* Carpz. *pr. crim. q. 77. n. 5. & q. 78. n. 8.* testantes de Saxonia, Harprech. *ad §. 1. Inst. h. t. de Ducatu Württenb. Gudelin. de Gallia & Hollandia,* ubi etiam omnes ferè pœnas pecuniarias jure civili constitutas furto in usu esse defuisse, testatur Vinnius *ad §. 5. Inst. h. t. n. 2.* sed cum hæc actio hodie in aliquibus abrogata, in alijs infrequens, nondum constare de generali consuetudine abrogatoria illius per Carolum V. legi contraria, ait citatis alijs Lauterb. *ad ff. h. t. §. 48.*

2. Secunda est actio ad exhibendum. Tertia vindicatio rei. Quarta conditio furtiva, quarum duæ postremæ sunt actiones principales, & quarum una vel altera cum actione furti concurret, & unà cum hac apud eundem Judicem institui potest. Lauterb. *ad ff. §. 34.* Vindicatio rei furto ablata est actio realis comperens domino non tantum contra furem, sed etiam contra quemcunque possessorem talis rei. §. 1. *Instit. de actione. & §. fin. Inst. de oblig. ex delict.* idque, sive bonâ, sive malâ fide, iusto vel injusto titulo rem possideat. *L. in civilem. & L. civile. c. h. t. & sic, si rem auferens obierit ante restitutionem, etiam hæredibus hac actione extorquenda injusta possessio. L. 15. c. h. t. L. 5. ff. de calumniator. teneturque possessor, etiam si rem furtivam bonâ fide emerit, eam restituere domino, licet hic pretium pro re furtiva expensum non refundat. cit. L. in civilem, daturque etiam post actionem furti, & jam acceptum quadruplum à fure, juxta *L. si pignore. §. 3. ff. h. t.* Conditio furtiva est actio personalis, quâ rei furto ablata restitutio, si exstet, aut aliâs ejus æstimatio exigitur, & quidem cum omni incremento seu interesse. *L. 8. ff. de condit. furtiva.* competit autem soli domino. *L. 1. ff. eod. & L. eum, qui. §. 16. ff. h. t. contra furem, & si sint plures, contra omnes in solidum, ita tamen, ut si unus plenè satisfecerit, cæteri sint liberi. L. 1. c. de condit. furtivo, datur quoque contra hæredes furis, etiam dum nihil ad illos de re furtiva pervenit; quod constitutum singulariter in odium furum, ne si facillè habeant hæredes, per *L. fin. Inst. de oblig. ex delicto. L. ex re furtiva. L. si pro fure. L. in condit. ff. de condit. furtivo.* ita etiam, ut fure affecto ultimo supplicio, hac actione hæredes conveniri possint, vi *Const. crim. Carol. V. a. 51. 207. & 213.***

Quest. 326. Quæ pœna statuta sint jure civili?

Resp. Primò: Præter obligationem restituendam de jure civili, quàm canonico, & quidem de jure civili Justiniano, seu veteri licet prohibitum fuerit, ob furtum simplex puniri aliquem pœnâ mortis, aut mutilationis. *Amb. sed novo. c. de servis fugitivis. & Novell. 134. c. 13. v. pro furto, Lauterb. l. c. §. 49.* puniebantur tamen præter pœnam dupli vel quadrupli domino solvendi vigore actionis furti pro diversitate delicti, personarum & aliarum qualitarum, vel pœnâ pecuniariâ silco applicanda, vel carceris, vel relegationis, vel damnatione ad metalla, aliâve pœnâ corporali. *L. fin.*

ff. h. t. L. 1. & seq. ff. de furib. balnear. L. 1. & seq. ff. de effracl. & explat.

2. Resp. Secundò: Jure verò Cæsareo novo ob furta invalescentia pœnæ graviores, etiam mortis & mutilationis statuta fuerunt, & quidem præter pœnam dupli vel quadrupli apud plerisque populos pœna capitalis, si furtum est magnum vel iteratum. Menoch. *de arb. cas. 295. n. 9.* Zoel. *ff. h. t. n. 39.* Pirh. *h. t. n. 19.* & in specie Fridericus I. Imperat. *L. 2. feud. tit. 27. §. fin.* statuit, *ut, si quis 5 solidis* (intellige aureis, seu 5 ducatis, ut Wesenb. *in paratit. ff. h. t. num. 15.*) *valens aut plus fuerit furatus, laqueo suspendatur, si minus, forcipe & scopis excorietur & tundatur,* quod tamen genus supplicii etiam apud Hebræos in usu fuisse, ex *num. c. 25. v. 4. Deuter. c. 21. n. 22.* constare videtur, uti & ante plura sæcula in Europa usitatum fuisse cum Tacito *de more Germ. c. 12.* testatur Befold. *deliberat. jur. L. 47. q. 5.* & de hac laquei, seu ultimi supplicii pœnâ à Carolo V. quoque confirmata in *Ord. crim. justitia,* et si dubitent quidam, eò, quòd videatur improporcionata delicto, dum quis pro bonis temporalibus, quæ longè inferioris sunt ordinis, cogitur amittere vitam, à Magistratu tamen Christiano observari posse præter Theologos & Jurisconsultos, passim quotidiana & communis ostendit consuetudo. Covar. *L. 2. var. resol. c. 9. n. 7.* Valq. *in opusc. mor. iv. de restitut. c. 5. §. 1. du. 7. n. 36.* Pirh. *n. 20.* Tabor. *ad Const. Carol. a. 159. th. 6. & seq. Carpz. pr. crim. q. 77.* Hahn *ad Wesenb. h. t. in fin.* aliique apud Lauterb. *l. c. §. 46.* idque ob tranquillitatem publicam, refrænandamque crescentem hominum malitiam, avaritiam, rapacitatem, quæ alijs pœnis levioribus coerceri non potest, ut testatur experientia, quæ ratio tum temporis Carolum V. movebat ad sic statuendum, non tamen pro unico furto inferri posse mortem, contra Covar. *l. c.* Menoch. *de arb. cas. 295. n. 9.* & alios (quorum tamen sententiam non tantum mitiorem, sed & probabiliorum, secundum jura recentiora, dicit Reiffenst. *n. 43.*) tenent Clarus *§. furtum. num. 9.* dicens communem, Farin. *pract. crim. p. 7. q. 167. n. 47.* Fach. *in L. 9. contror. a. 91.* Harpr. *§. pœna manifesti. Inst. de oblig. ex delicto. n. 56. & seq.* citatque ab iis, eò, quòd nullâ lege aut jure reperitur cautum, ut quis pro unico furto mulctetur morte, nec Judex debeat esse lege rigidior. *L. penult. ff. de pœnis.* sed neque pœna furti etiam secundum Const. Carol. V. est indifferenter capitalis, sed æquitati Judicis multum relinquitur, & pro diversis locis diversa placent suppliciorum genera, Lauterb. *l. c.* faciendumque imprimis discrimen inter furtum simplex & qualificatum, seu quod concurrentibus circumstantiis redditur atrocius. Inter furtum commissum à mare & commissum à femina, quorum prius, si magnum, id est, continens aut superans quinque solidos aureos, punitur suspendio, secundum *Const. Carolin. a. 159.* alterum gladio, submersione, suffocatione, quamvis *ibidem in fine.* ob conditionem feminae hæc pœna mitigeatur, mutando illam in abscissionem manûs, (quæ tamen etiam non est amplius in usu, ut Tabor. *l. c. th. 26.*) vel narium & aurium, castigatione ad numellas & infusione stigmatum cum relegatione, vel etiam suffocatione. Inter manifestum, & non manifestum, cum manifestum gravius puniri exigit, & si est parvum non manifestum, præter restitutionem rei, punitur pœnâ dupli æstimationis illius, si fur est solvendo, aliâs pœna carceris. Si est parvum, & primâ vice commissum,

missum, manifestum tamen, & fur aliàs sit honestæ conditionis & solvendo, appareatque spes emendationis, punitur pœnâ quadrupli, si non sit solvendo, pœnâ carceris corporali, si verò fur vilis est conditionis, damnatur ad numellas, ibique virgis cæditur, & relegatur; ita Reiffenst. *h. t. n. 38.* citatis *art. 157. & 158. Const. Carol.* Item faciendum discrimen inter furtum primâ vice commissum, & reiteratum de primo commissum. Jam dictis adde, quòd, si magnum furtum sit, *Const. Carol. art. 160.* non illico, nec regulariter definitur mortis, aliâve certam pœnam, sed reliquit arbitrio Judicis circumstantias (quæ sunt rei furtivæ quantitas, furis qualitas, constitutio & status, ætas, genus & familia, officium, damnus læsi) diligenter examinantis, nec non adhibentis consilium Jurisconsultorum in talibus casibus apprimè veratorum, quibus omnibus maturè & solidè examinatis, ad pœnam capitalem deveniri potest. Lauterb. *ad ff. §. 53.* quamvis hodie dum in plerisque Germaniæ locis furtum etiam magnum, sed primum, capitaliter non punitur, nisi aliæ furti qualificatiæ circumstantiæ concurrant, testatur idem cum Hahn *ad Wesenb. h. t. n. 15.* & remittit *ad Carpz. 7. F. p. 4. c. 32. def. 4.* qui tamen *in pr. crim. q. 78. n. 13. & 106.* asserit, in foro Saxonico, & quibusdam Germaniæ locis, furtum magnum, etiam si primum, modò excedat 5 solidos, capitaliter punitur, idque magis ex constitutionibus localibus, quàm verbis Caroli V. Furtum simplex secundò commissum parvum, si sumptum collectivè, seu unâ cum furto primo parvo non excedat 5 solidos, punitur quoque non pœnâ mortis, sed publicâ ad numellas expositione & relegatione nullâ factâ distinctione inter furtum manifestum, & non manifestum. Lauterb. §. 54. Pirh. *h. t. n. 22.* Reiffenst. *n. 39.* idque, quia aggravat delictum. *L. 3. §. 9. ff. de re militari.* cæque potissimum hoc casu, ut Tiraq. *de pœn. temp. casu. 10. n. 5.* si verò sit magnum utroque continente vel excedente summam, vel æstimationem 5 aureorum, secundum circumstantias arbitrio Judicis ex consilio Jurisconsultorum punitur corporaliter & extraordinariè, vel capitaliter juxta modum præscriptum. *a. 160. Const. Carol.* Furtum tertio reiteratum, si certum & exploratum nulla attentâ quantitate & valore rei ablatæ punitur pœnâ capitali, in maribus suspendii, in foeminis suffocationis in aquis. Lauterb. §. 55. frequentia enim delicti ab uno commissi auger malitiam, excluditque omnem spem emendationis. *c. 6. de præsumpt.* & talis fur haberet pro famoso. *cit. art. 162. juncta L. 28. §. 3. ff. de pœnis. L. 3. in fin. c. de Episc. audient.* unica ejus pœna apud omnes ferè populos fuit capitalis. Porro ut furtum reputetur secundum vel tertium, distinctum esse debet re & tempore à prioribus, aliàs pro continuatione ejusdem actûs reputabitur. Bocet. *tr. crim. c. 1. n. 150.* Zoef. *h. t. n. 31.* Tabor. *ad art. 161. Const. Carol. th. 4. in fin.* quos citat & sequitur Lauterb. §. 56. item Farin. *l. c. n. 73.* Clar. *l. c. n. 14.* Pirh. *h. t. n. 23.* Arg. *L. cum, qui, ff. h. t. juncta Gl. v. sed non in toto.* non tamen requiritur, ut omnia tria facta sint in eodem territorio; furta enim commissa extra territorium, in quo ob ultimum seu tertium furtum reus est captus, faciunt numerum, seu computantur cum ultimo factò in ordine ad pœnam mortis inferendam, cum & alibi commissa affectum & actum frequentiam indicent, unumque alterum aggravet. Clar. *l. c. n. 10.* Menoch. *l. c. n. 18.* Farin. *l. c. n. 51. & 58.* Pirh. *n. 23.* Ne-

que etiam refert, quòd fur de prioribus furtis fuerit absolutus, aut illa ex gratia remissa, quia remissio non minuit iteratum crimen, sed potius auget. Clar. *l. c. n. 13.* Farin. *l. c. n. 68.* Pirh. *l. c.* Neque refert, quòd propter duo priora fuerit punitus, quin propter tertium sit suspendendus; cum duo priora non computentur ad ea iterum punienda, sed ad aggravandum tertium furtum, & puniti ob priora delicta, si ea continent, gravius sint puniendi. Pirh. *l. c.* cum Claro *l. c. n. 12.* Menoch. *l. c. n. 19.* Farin. *l. c. num. 64.* quin & debere eum esse prius punitum, ut possit propter ultimum furtum affici pœnâ mortis, defendit apud Lauterb. §. 56. Harpr. ed. quòd sic repertus sit incorrigibilis, contrarium tamen, nimirum posse eum affici morte absque eo, quòd ob priora non sit punitus, tenentibus Theod. *de crim. c. 2. aphoris. 747.* Bocero & aliis.

Quæst. 327. Quinam fures eximantur à pœna capitali?

R Esp. Eximuntur imprimis simpliciter infantes. Carpz. *pr. crim. q. 143. n. 10.* & infantia proximi. Carpz. *num. 36.* Tabor, *ad art. 164. Const. Carol.* Secundò: impuberes pubertati proximi, qui nimirum annum 14 nondum egressi, etiam sine discrimine sexûs. *cit. art. 164.* usque ibi dicitur pœna arbitraria, quæ hodie plerumque esse solet incarceration & castigatio cum comminatione pœnæ severioris infligendæ, si non desistant, posse tamen etiam horum furtum esse ita magnum aut periculosum, ut cum iis ad pœnam ultimâ supplicii deveniri queat, tradit Berlich. *p. 5. concl. 44. n. 34. & seq.* & tunc Carpz. copulativè requirit duo, nimirum ut impubes mox impleturus sit annum 14. & malitia illius tanta sit, ut non speranda correctio. Tertio: minores, utpote cum quibus regulariter mitius agendum, per *L. 37. §. 1. ff. de minorib.* Carpz. *l. c. n. 61. & 7. F. p. 4. c. 38. def. 7.* & alii apud Lauterb. *ad ff. §. 58.* Quarto: conjunctæ personæ.

Quæst. 328. Quenam sint pœnæ contra fures statuta jure canonico?

1. **R** Esp. Primò: Tenetur fur etiam jure ecclesiastico præter interesse ad solvendam pœnam dupli vel quadrupli post latam sententiam Judicis, tamen si ante illam ad nihil ultra, quod abstulerat, restituendum teneatur Reiffenst. *h. t.*

2. Secundò: Non minus jure canonico, quàm civili, fur notorius aut damnatus furti, sive Laicus, sive Clericus sit, est infamis. §. *ex quibusdam Inst. de pœna remerè litiganti. L. athletas. §. fin. ff. de his, qui infam. not.* & ibi Abb. *n. 14.* & Felin. *n. 2.* qui enim secundum leges civiles sunt infames, etiam tales sunt secundum canones, nisi contrarium reperiat statutum. *Can. Enphemium. §. hinc colligitur. 2. q. 3.* Diaz, *in pr. crim. can. c. 94. n. 2. in fine.* Pirh. *h. t. n. 26.* ubi etiam, quòd Clericus condemnatus tantum ad restitutionem rei furto ablatæ per hoc non fiat infamis, quia credi potest, quòd fuerit actum conditione furtivâ, quæ non infamat, & non actione furti, quæ infamat, sicut id in legibus civilibus statutum est.

3. Tertio: Fit quoque fur manifestus aut convictus furti in judicio, & ideo notatus infamiâ publicâ furti, irregularis, ut ad Ordines promoveri, aut in susceptis ministrare nequeat. Abb. *in c. fin. h. t. n. 3. & 14.* Nav. *in man. c. 17. num. 204.* Suar. *de censur. d. 48. f. 2. n. 2.* Pirh. *num. 27.* Wiestn.